cum lantgravio sub hac forma, quod, si dominus
eorum dux Polonie ad liberandum eos secunda
feria proxima venire negligeret, castrum altera
die omni occasione postposita ad manus lant-
gravii presentarent. Quod pactum pius lant-
gravius gratanter suscipiens, ipsos quinque
tradidit custodiis. Sed quia dux minime
comparuit, captivi dederunt castrum ad
manus lantgravii, et ad propria remeavit. Illo
anno presentatum est etiam sibi castrum
quod dicitur Richinbach. Eodem anno mense
Septembris captus est Albertus comes de Orla-
munde a Lodewico lantgravio. Hoc etiam anno
magna fames fuit in Thuringia et in aliis pluribus
terris.

Anno Domini MCCXXVI unus ministerialium de
partibus Francorum abstulit cenobio Reynhards-
born currum vini cum sex equis. Quod percipiens
lantgravius Lodewicus scripsit sibi litteram, ut
indilate redderet; quod iste rennuit, et lantgravius
expeditione facta obsedit castrum eius et talem
nobilem fecit, ut nudus extracto gladio suo collo
inposito se dedit ad gratiam et vinum
cum equis totaliter restituit. Idem etiam lant-
gravius, cum videret pauperem institorem
cum valde parvis mercimoniis et satis debi-
libus, sicut acus, forcipites et fistulas et coclearia,
quesivit ab eo, quomodo se posset talibus nu-
trire. Qui respondit: O pie princeps, erubesco
mendicare. Et si cum pace possem de pro-
vincia ad provinciam pergere, ista michi suffi-
cerent et Deo dante post annum duplicarentur.
Lantgravius misericordia motus dixit: Et in
conductu meo transibis per integrum annum,
et hoc videbo, quantum estimes mercimonia tua.

et

quo